PAVLI BOMBINI
E SOCIETATE
IESV.

ORATIO

In Funere

MARGARITAE AVSTRIACAE

Hiſpaniarum Reginæ
Catholicæ

*Habita ad Sodales Virginis Aſſumptæ
in ædibus ſocietatis IESV
Romæ.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

R O M Æ,
Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. MDCXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Oratio hæc, à P. Paulo Bombino Societatis noſtræ Sacerdote habita in funere Margaritæ Auſtriacæ Catholicæ Reginæ, imprimi poterit, ſi ita videbitur Reuerendiſſimo D. Viceſgerenti, & Reuerendiſſ. Patri Magiſtro ſacri Palatij.

Claudius Societ. Ieſu Præp. Gen.

Imprimatur, ſi videbitur R. P. Mag. Sac. Pal. Apoſtolici.
Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur, Fr. Damianus à Fonſeca Mag. & Reuerendiſſ. P. Fr. Ludouici Yſtella S. P. Ap. Mag. Soc. Ord. Præd.

ORATIO.

SI, quod apud ſapientes pro comperto eſſe video, Clariſſimi ſodales, idem perſeuerat animi ferme ſenſus in mortuis quem hauſerant viuentes; non dubito quin Margaritæ Auſtriacæ Hiſpaniarum optimæ maximæq. Reginæ, cui ſacro luctu parentamus, mea hæc qualiſcunque vox magno Imperio longum poſt ſilentium excitata accidat hodierna luce gratiſſima. Nam & hominis eſt ex ea hominum ſocietate cuius illa & auctoritatem ſequi, & obſeruare voces, & fouere ſtudia, ne moriens quidem vnquam deſtitit: & eius imperio auditur, cuius vt viuens flagrantiſſimum in ſe ſtudium ſenſit, ita inexhauſtas mortua lacrymas videt: & apud eos auditur, quos in eius quam ſibi parentem votis, morumq. ſimilitudine delegerat Beatiſſimæ Virginis gremio collocatos ipſa quoque ne à parente degeneret in delicijs habeat neceſſe eſt. Faciam ergo, ne vel hoc ad gratiam nunc maximè apud ſuperos viuentis Reginæ deſideretur; vt ijs etiam de rebus præcipuè audiatur, quas illa de ſe dici, audirive magnopere dum viueret concupiſſet; niſi hoc maximè virtutum vſu conſequuta eſſet, vt virtutum ſuarum commemoratione perinde atque conuicio offenderetur. Dicam enim de Margaritæ Reginæ religione, miſericordia, reliquo ſanctimoniæ præclariſſimo inſtrumento. Quod quia eò admirabilius eſt quò nobiliore loco cernitur; permittite, quæſo vos, vt quod gemmarij faciunt qui aurum gemmis ſubſuunt, quò veluti aptiſſimo loculamento melius eruditis oculis ſatiſfaciant: itidem ego aduentitios illos quos vulgus hominum ſuſpicit ſplendores Margaritæ Reginæ proprios eius virtutibus ſubtexam. Quo facto illud aſſequar vt demonſtrem extitiſſe aliquando inter mortales vnam, in quam omnia, ſiue quæ ſapientes, ſiue quæ vulgares homines mirari ſolent, ornamenta rara ſocietate congeſta ſint.

Digitized by Google

Et mihi quidem in præcelſiſſimæ huius, ſanctiſſimæq. Reginæ vitam, quæque vitam comitantur attentius intuenti, ea maieſtatis ſimul, ac ſanctimoniæ infixa animo hæret ſpecies: vt Margaritæ Auſtriacæ nomine audito, non fœminæ, non Heroinæ ſimulacrum obuerſetur, ſed quædam duorum diuerſorum lux ſyderum, amplitudinis eximiæ, pietatis ſingularis. Quæ duo ſi in iis rebus omnibus quæ ad eam pertinent, ſiue propria illa ſint, ſiue quodãmodo aliena, ineſſe demõſtrauero; ſatis & meo muneri factum, & veſtræ expectationi exiſtimabo. Et verò quid in illa ſpectari vnquam potuit non gemina hac luce admirabili quadam ratione illuminatum? An genus? An educatio? an eius priuatim vitæ conditio? Et quidem de genere nihil habeo dicere præter hoc vnum, Auſtriacũ illi fuiſſe, & Bauaricũ: ex matre hoc, illud ex Patre: quibus duobus verbis qui ſummam exprimi humanæ nobilitatis, Chriſtianæq. pietatis gloriam negat, eum ego neq; inter homines, quid nobilitas ſit generis ſcire; neque quid inter Chriſtianos pietas, gentium omnium teſtificatione conuincam. Sed nemo negat. Adeò in illuſtri ætatum omnium theatro propoſita magna maximarum familiarum decora plauſum terrarum omnium tulere. Nam, vt de Bauarica interim ſileam: quæ tanta facundia vnquam fuit, quæ Auſtriacæ gentis laudibus par eſſet? cùm tamen quaſi diuiſo grandis laudationis argumento religionem eius piorum facundiſsimi, ornamenta alia diſertiſſimi reliquorum extollenda ſuſcepiſſent. Suffecit illa quidem nationum omnium, omnium generum ſcriptoribus argumenta: nulla hiſtoria eſt, cui materies non ſit ab Auſtriacis: nulla Oratorum vox, nullæ poëtarum fides, quibus & ſonum, & plauſum, & præmium Auſtria non meruerit. Et verò Auſtriacorum nomen Auditores per Reges, ac Cæſares ita deductum eſt, vt non plures viros numeret, quam regna. parum dixi. plura planè regna, quàm homines. Quid enim? An non animaduertitis ad eius amplificandam maieſtatem ita Orbis terræ imperia pleraque conſpiraſſe: vt ex iis paſsim multa veterrimis ſuorum regum

A ſtirpibus

ſtirpibus ſuccisis, vni alicui ex Auſtriacis congeſtam regnorum, ditionumq. multitudinem in ſinum quodammodo nec opinanti effuderint? Quare ſi faſces huic familiæ priſco more præferendi eſſent: mea quidem ſententia non virgarum faſces, ſed ſceptrorum, inſigne famulantium turmatim regnorum eſſent præferendi. Neque minor pietatis nobilitas, quam ſanguinis. origo illi à pietate, incrementa à pietate ſunt. Neque enim dubitandũ eſt quin illa ipſa, quã vbique hæreditario iure propugnat, pietas liberali ſtipendio & immortalitatem illi gloriæ, & Imperij rependerit diuturnitatẽ. In rebus peruulgatis verſari me ſentio auditores. breui ergo colligam ſi dixero proprium eſſe propemodum clariſſimæ ſtirpis, vt non facile alicuius alumni nomen ſui, niſi inter duas faces conſecret, pietatis alteram, alteram felicitatis. atque hæc breui de genere. Quid de educatione loquar? quam neſcio an regiam dixerim, an cœleſtem, ita & maieſtatis pleniſſima eſt, & pietatis. Et veteribus quidem temporibus cœleſtis appellationem Regibus, Cæſaribuſq. publica adulatio ita deferebat; vt cœli nomen aulis, celliſq. Principum turpiter attribueret: nouiq. gigantes plena, vt leuiſſimè dicam, audaciæ receptacula diuinis ſedibus violentia mendaciorum inferrent. Tu Regum, Reginarumq. fœcundiſſima Auſtriacorum aula Archiducum effeciſti vt verè aliquando ſummorum Principum conclauia cœlum dicerentur. Adeò illhic apud te nil niſi cęleſte, atque diuinũ vel dici poterat, vel audiri. Conclaue quidem ipſum, vbi ſplẽdidiſſimũ illud Reginarũ concilium (plures fuiſſe Margaritæ ſorores noſtis Aud.) rerum omnium præterquã cœleſtium ignarum educabatur, nullis niſi pio argumento tabulis conueſtitum. vt verũ dictũ illud ea vna domus fecerit, parietes ipſos doctores fuiſſe aliquando ſanctitatis. Nutrices moribus lectæ: conſtitutũ enim habebant Sereniſſimi Parentes efficere vt quod ſæpe ab alijs ad mendacẽ iactationem inaniter; hoc ſemel ad ſolidã laudem verẽ vſurpari poſſet à ſuis: extitiſſe tandem Auſtriacorum domũ in qua probitas ſimul cum lacte nutricis ſugeretur. Verba ac voces niſi quæ pietatis nomenclatori

cognita, penitus ignota. ſermones ergo nonniſi de Deo, vel cũ Deo. vt facile fuerit in ſanctiſſimo illo gynæceo quænã illa ſit, de qua tantoperè in ſcholis quæritur, Angelorum in cœlo lingua condiſcere. Et quamuis in auro, & purpura inter Ducum, Regnumque ſinus, & brachia educarentur, non intelligebant tamen Regiæ puellæ quid hæc eſſent, niſi cum ad explicandam regni cœleſtis maieſtatem impari quidem, ſed obuia ſimilitudine à morum magiſtris afferrentur. Quid multa? non æque regno ac cœlo digna numeroſa illa ſoboles ſuccreuit. Et regnis tamen digniſſima ſuccreuit. Ex ijs enim penetralibus mirum dictu eſt quanta reginarum multitudo colonias regum propagatura omnes in partes Chriſtiani orbis deducta ſit. Non habeo clariſſimi ſodales cui tantum in tanta multitudine ſplendorem inter res mortales comparem. habeo inter immortales: apud nos enim vbi rara ſunt quæcunque ſunt magna, nunquam in ingenti multitudine admirationem ſingula meruere. Cœlo igitur Auſtriacorum fœcunditatem comparauerim. in quo cum innumerabilia ſint Aſtrorum lumina, ſingula tamen lumina ſunt, non ſingulis naturæ iure terrarum partibus regniſq. præpoſita.

Habetis educationem, habetis genus omni maieſtate auguſta, omni pietate religioſa. veniam ad eius priuatim conditionem vitæ. Quantus autem hic mihi præcelſæ amplitudinis, ac felicitatis ſplendor oboritur? quanta virtutum omnium aperitur lux? ſiue enim Regem cui nupſit, ſiue Regnum in quod tranſijt, ſiue quam duxit vitam animo, & cogitatione complector: nihil equidem præter admixtam maieſtati ſanctitatem cerno. Et ſiquidem verum illud eſt quod à ſapientibus olim dictum in vulgi iam ore conſenuit, vitæ nos fabulam in publico hoc mortalitatis theatro dare exibilandã alios, alios plaudendam: illud mihi non ſemel ſubijt animum credere, hoc Margaritæ Reginæ contigiſſe, quod optimorum fortunatiſſimis poetarum eueniſſe traditur: vt non modo egregium ipſa opus elaborata morum ſanctitate compoſitum in ſcenam produxerit; ſed ſingulari quadam cœleſtis ædilis indulgen-

indulgentia ſcenam ornatiſſimam, inſtructiſſimum choragium nacta ſit. vt præclara fabula apparatiſſimo cultu peracta publicum famæ plauſum ab eruditis pariter ineruditiſq. ſpectatoribus exprimeret. Agite ergo: quartumdecimum Margaritæ ætatis annum quo nuptui tradita eſt, reliquoſque deinceps mecum conſiderate. nuptias enimuero vos illhic: & quidem eum Philippo Hiſpaniarum Rege eius nominis gloria Tertio, maieſtatis, ac religionis laude nulli ſecundo. Regnum illhic: & quidem Hiſpaniarum Regnum felicitatis, pietatiſq. domicilium. Tredecim illhic ipſos vitæ annos reperietis: & quidem eiuſmodi annos, quorum labentes dies non alia re magis quam noua ſubinde aliqua felicitate numeratos vetus illa atque vſitata eius pietas perpetuo tenore æquabiliter colligauit. Sed vos interea admirabiles regiæ felicitatis delicias pene fugitantes repræhendite mecum, ſi placet, Auditores. Quartumdecimum ætatis annum, quod antea dicebam, Margarita vix attigerat cum Philippo Hiſpaniarum ea tempeſtate Principi deſponſa eſt. vnum ad abſolutiſſimam eius felicitatem deeſſe videbatur, quod nondum regnanti collocata erat. Quantulum autem iſthuc fuerat? ſenex Principis parens etiam ſi vitam diutius produxiſſet, ſpeciem ipſe fortaſſe retinuiſſet imperij, vim dominationis in filium regno iam maturum tranſtuliſſet. hoc ipſum tamen magnæ fœminæ Deus indulſit. Dum parat illa è patria diſceſſum; tranſlato ad præclarius regnum parente, terrarum regna ad natum tranſeunt. Ita Margarita quæ Principi deſponſa erat repente ſe Regi iunctam eſſe mirata eſt, (neque enim ante ritè denupſit quam Regina appellata) quæque Principis vxor ad virum aduentabat, nec opinato Regis vxor aduenit. Neque hic felicitatis admirabilis modus fuit. nuptiæ à Pont. Max. Clemente eius nominis Octauo conciliatæ eo potiſſimum tempore quo ab eodem verè orbis Chriſtiani pacatore Pontifice pax inter potentiſſimos Reges Gallum Hiſpanumq. compoſita. vt pacis etiam commoda in torum maritalem Margarita attulerit: propria Auſtriacæ gentis gloria; quæ nuptijs non coniugum

 modo,

modo toros verum etiã Regnorũ fœdera, populorumq. animos conciliare conſueuit. Sed non committam vt hoc quoque inter ea quæ ad Margaritæ muliebrem mundum inſtruendum pietati maieſtatem admirabili coniunctione miſcuere, paucis paulo ante inuolutum pluribus non exponam. quod in alia regna ſororibus tranſlatis ipſa potiſſimum in Hiſpanias deducta ſit. Quo ego in regno ſi quid ad maieſtatis ampliſſimæ religioſiſſimæq. pietatis laudem deſiderari dicam, planè mentiar. abſit modo verbo inuidia. Ampliſſima alibi regna ſunt, fateor; ſed quæ prouinciarum, regnorumq. familiam externorum trahant: quorum famulitio amplificando noui terrarum orbes extiterint: quorum gazæ augendæ, quæ prius fabuloſa credebantur, argentei aureique montes: auro planè turbidi, margãritis impediti amnes: ſcopuloſa gemmis maria enata ſint: haud facile reperies. Pia alibi regna ſunt, quæque pro pietate ſanguinem dederint, ignes tulerint, vaſtitatem ſui ipſa vltrò fecerint. non nego. At ſi qua ſunt eiuſmodi quæ ita feliciter pro pietate pugnauerint, vt errorum ſeminibus eliſis, vel nunquam deinde exortam, vel ſubito exareſcentem viderint impietatem: ea in tantæ gloriæ ſocietatem Hiſpanias admittere me quidem iudice, me autem? ipſo terrarum orbe iudice, nunquam recuſabunt.

Hactenus magnæ in tanta rerum omnium maieſtate eximiarum virtutum commemorationi prælusimus. Totæ iam nunc laxandæ ſunt habenæ orationis, immenſuſq. ille campus quem incredibilis Margaritæ ſanctitas aperuit dicendo percurrendus eſt. Quam ego orationis meæ partem eo fidentius ingredior, quod hic ipſe conſpectus veſter Aud. hęc loci facies ſacroſancti, & proprium ſacrarum laudum ſtadium, & ſpectatorem non attentum modo, ſed etiam fauentem per ſacras laudes ire properanti pollicetur. Quid autem hic ego primum dicam, quid poſtremum? Pietatem ne in Deum quam binis quotidie ſumma animi religione auditis ſacris: quam frequentiſſimis flagrantiſſimo ſtudio obitis ſacræ confeſſionis, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ myſterijs teſtabatur? An publicam in om-

nes homines caritatem? Nam quantam illam in omne genus hominum caritatem fuiſſe neceſſe eſt, quæ ſplendidiſſimum in ea Reginæ titulum auguſtiore communis parentis elogio obſcurauerat? Quanta verò priuatim in religioſas Deo dicatorum hominum familias beneuolentiſſimi animi propenſio? Miſerum me, Orationis enim vngue nondum obductum amiſſæ optimæ beneficentiſſimæq; parentis vulnus excarnificandum eſt. Hæc illa eſt, ò quotquot eſtis vbique terrarum religioſi ordines, perpetua veſtrorum hominum patrona, ſtudiorum altrix, adiutrix votorum, famæ ac nominis tutela, ara vitæ & ſalutis, quam lugemus extinctam Margarita Hiſpaniarum Regina Sereniſſima. Mirum dictu eſt Aud. dicendum tamen. Tot ſunt in pulcherrimis Chriſti caſtris piorum militum cohortes ſuis inter ſe vexillis, ſigniſq. diſtinctæ, vt quamuis vno ſub Imperatore Chriſto ſtipendia faciant, proprijs tamen ducibus attributæ alios atque alios impleant ordines neceſſe ſit. Neque fieri poteſt quin tanta in hominum varietate propriæ ſint cuiuſque vtilitates, minutiſque interdum in rebus diuerſa à cæteris, ac ſeiuncta conſilia, vt iam nonnullis intimæ inter eas coniunctionis ignaris fieri non poſſe videatur quin alias deſerat, ſi quis vni ſe præcipue addixerit. Audite tamen audite Margaritæ incenſam in omnes Chriſti neceſſitudines caritatem. Ita ſingulos fouebat religioſorum hominum ordines, vt æque omnes eam ſibi præcipue addictam crederent. Non facit ergo arroganter (te ego alloquor o rerum omnium arbitra, atque æſtimatrix Roma) non facit inquam grata noſtrorum hominum pietas arroganter: ſi tam multis ab ea culta beneficijs, tantis aucta ornamentis eximie ſe illi dilectam, & prædicauit olim, & porrò dum viuent homines prædicabit. Fecit enim facietque quod ſanctiſſimæ aliæ familiæ prudentiſſima eius caritate inductæ fecere faciuntque, cum credant ſe ſupra cæteras admirabili illi caritatis Soli cordi fuiſſe. Nam cui ego potius genus hoc prudentiſſimæ caritatis conferam, quam clariſſimo huic ſiderũ parenti quem ſolẽ dicimus? Qui publico omniũ beneficio factus ita ſe totum ſingulis profundit, vt nemo

ſit

ſit hominum qui ſibi priuatim alia aliqua ratione factum vellet. Quamquam vt de nobis, noſtraque confidentia nonnihil dicam: Quid tandem erat cur de Margarita Regina ſumma omnia non expectaremus, quæ in ea domo nata, atque educata erat, quæ nos haberet, diceretque pro ſua humanitate conuictores ſuos? Quæ, vt idem ſecum inſtitutum quocunque transferretur aucheret, ſedem in Hiſpania nobis ampliſſimam, ditiſſimamque exoptauerat, perfeciſſetq. omninò, niſi prius in ampliorem ipſa ditioremque multo immortalitatis ſedem præcoci felicitate trãslata eſſet. Quæ maritalem qua amicta eſt ipſo nuptiarum die pallam auro, & margaritis inſignem, manſuræ perpetuo in nos ſuæ autoramentum voluntatis ſacræ huius noſtri templi aræ applicandam tranſmiſit. Aptiſſimum ſane munus. Neque enim intererat pectus ne illud an hanc arã veſtis illa amiciret: niſi forte quicquam inter viuentem illam & mutam hanc Dei aram intereſſe exiſtimatis. Sed pergendum eſt. Quoties illa innumerabiles omnis ordinis egentes & in patria, & ſalutari ad regnum Italiæ itinere, & in Hiſpanijs regni ſede ſubleuauit? Et quia ampliorem ditione ampliſſima caritatem habuit; vltra Gangem, vltraque Oceanum, quamquam & eo amplisſimi imperij fines porrigebantur: vltra ergo anni ſoliſque vias multorum neceſsitatibus ſubuenit. Iter quidem ipſum ex patrio in maritale regnum pia largitione auſpicata eſt. Feliciſsimum ſane auſpicium, cui cœlum libenter addicere conſueuit. Legi in annalium noſtrorum hiſtoria, Patres, Reginæ Græcio diſceſſum magno auri pondere per piam prodigalitatem effuſo præmunitum. Legi ipſum iter quod Italia media ſumma populorum omnium frequentia peregit pia liberalitate celebratum. Sed hæc fortaſſe communia. Illud ſine dubio ſingulare. Viderat Mediolani cum iter faceret mendicum ſemilacerum, plane nudum. Tempeſtas erat frigidiſsima hyems, vt ea Italiæ plaga, plane horrida. Auertere plerique ab tam fœdo ſpectaculo aſpectum. multi per delicias, & faſtidium oculorum, illa per miſericordiam. Erat ex Hiſpanis proceribus in eius comitatu vir tum nobilitate generis, tum

probi-

probitate morum inſignis. Eum Regina ad ſe vocat. Et, vides ne tu miſerum, inquit, illum? veſtiendus nobis eſt. Facturum ſe is continuo cum reſpondiſſet: At vide, ſubijcit Regina, veſtem tu ad eius artus dimenſam, diſſectamq. para, mihi curæ erit ſarcinatorem qui aſſuat inuenire. Abijt ille. veſtem Reginæ dimenſam diſſectamq. attulit. Quid expectatis Audi? aduocatum è taberna aliqua hominem mercenarium, qui veſtem conficeret? E nobilibus puellis aliquam ei muneri, atque operi adhibitam? O caritatem. o miſericordiam. o humanitatem. o animi demiſſionem. o virtutum omnium collegium. Ipſa ipſa per ſe, ſuis ipſa magna Regina manibus veſtem conficit: Chriſtum pauperem. Erraui. Chriſtum opum omnium ditiſſimum largitorem veſtit in mendico. mirati eſtis factum, Auditores? Vos quoque erraſtis. nihil eſt quod miremini. Non fecit ſemel. fecit deinde alias. denique aſſueuerat. Et hanc ego fœminam? hanc vſitato nomine Heroinam? hanc ſanctam putem, aut dicam? miraculum niſi dicam ſanctitatis nihil dicam. Nam Chriſtum veſtire in ſacris ædibus ſacrorum cultu & paratu, ſollemne erat. Retinuit modeſtiſſima Regina ex vetere paternæ domus inſtituto ingenij muliebris exercitamenta. non illa quidem lanificij, aut vulgaris textrinæ; ſed regia alia: acu pingendi, ſegmentato opere ludendi: cœtera eiuſmodi, quæ & fœminas loquerētur opifices, & reginas. Scio id quidem à nobilium pleriſq. mulierum factitari. ſed nimirum ex his multæ ſibi omnino ludunt, pingunt ſibi. cultus ſuos, ſuas delicias ſuo labore emunt. bis prodigæ; operæ qua ſe ornant, formæ quam ornamento produnt. vni Deo ludebat, operaſq. ponebat ſuas, ſuarumq. Margarita. quicquid enim toto anno eximij in ſacrario illo elaborabatur, ſacris iampridem ædibus deſtinatum erat. aræ ornatus: ſacerdotum ſacræ veſtes: ſacra aulæa conficiebantur. Denique, vt ſe ſuamq. ſtirpem probaret ſacræ rei natam; quæ ſocer, quæ vir ædificauit, ſtatuitq. templa, ea veſtiebat ipſa & exornabat. Verum quando me locus admonuit, dicam breuiſſime de eius in cultu corporis moderatione. venerat in Italiam modeſtiſſimo veſtitu.

qualem

Digitized by Google

qualem pudica domus, & incorrupta Auſtriacarum virginum modeſtia aduerſus recentis luxus ineptias ne dicam, an inſanias? pertinaciſſimè retinuit. Veſtienda ſcilicet fuit atque exornanda magnifice Mantuæ, niſi fallor. Eo certe cultu quem Reginam ſuæ ditionis fines iam iamque ingreſſuram decere affirmabant primariæ fœminæ eius cubiculo præfectæ; mater inſuper quæ eam in Hiſpanias vſque proſecuta eſt; viro ſic placere dictitantes. Quid hic Aud. dicam? non admodũ diſplicuiſſe fœminæ, puellæ, ſponſæ, Reginæ, formæ commendationem atque ornamentum ſuæ? Proh Deus immortalis? Quos tu ſenſus magnæ illi puellæ à communi omnium hominum ſenſu abhorrentes inſeuiſti? Dici non poteſt quantam vim lacrymarum dum veſtitur, dum comitur, dum ornatur caſtiſsima virgo profuderit. Totam inſequentem noctem inſomnem, lacrymis etiã madentem egit. Vt geminam virtutis laudem agnoſcas: obedientiæ quod viri imperio, quod matris auctoritati paruit: modeſtiæ quod ſuæ illi pompæ illacrymauit. Vnum eſt hoc modeſtiæ genus, audite alia. Scenicos Ferrariæ parari ludos ad eius celebrandas nuptias rumor tulerat. Inaudierat de ſcenica licentia prudentiſsima Regina. Intellexit ergo continuo facile pudicitiæ ſcopulos latere poſſe poſt mimos, vocibuſque hiſtrionum non difficulter illecebram adhærere aculeatæ voluptatis. Videte virginis cum prudentia modeſtiam (quando nunquam ſingulas eius virtutes admirari licet) ne aliena, quò nollet, auctoritate vrgeretur: noſtri gymnaſij auditores ſi quid in ſcenam in ſui gratiam dare vellent ſpectaturam ſe priuſquam aliunde ſcena parari poſſet profeſſa eſt. Qua voce quid obſecro fingi modeſtius, quid prudentius potuit? cum eadem opera & ſuæ modeſtiæ, & alienæ verecundiæ tanto ante adeo molliter conſuluerit. Neque hic ſolum tãta aduerſus voluptates oculorum, auriumq. conſtantia, quarum importuniſsimam tamen illecebram eſſe nemo eſt noſtrum qui non ſentiat. Idem Mediolani immobilis inſtitutum tenuit. neque enim ſcenam vnquam quamuis à pluribus exquiſitiſsimo apparatu inſtructam ſibi, adijt; eoſque qui ea de re, vt honeſta aliqua

ſponſæ

ſponſæ præſertim, Bacchanaliorũ diebus (nàm in eos dies Mediolanenſis eius commoratio incidit) animi remiſsione loquerentur; duriſsime auerſari perſeuerauit. O admirabilem regiæ virginis modeſtiam. O pudorem inauditum. O integritatem ſuſpiciendam. ſed me in ſingulis hærentem multa prætereunt; neque fieri poteſt vt in tanta rerum multitudine aliqua non effugiant. Dixi ea præcipuè quæ in natali ſolo Germaniæ, quæq. in Italica peregrinatione vltro ſeſe obtulere. Quid in Hiſpanijs? ibi verò liberiorem apud Philippum III. pietatis nacta campum, quæ exempla non edidit modeſtiæ admirabilis? Quæ profuſiſſimæ liberalitatis argumenta? quæ demiſſionis altiſſimæ miracula? Nihil amplificandi gratia dixi. planè miracula Aud. Etenim quod ſacrarum Deo Virginum cœnobia frequentiſsime adibat, nullo ipſa ſupra ceteras ſacras Virgines cultu inſignis: fuerit pietatis hoc ſane atq. modeſtiæ. Quod Auguſtinianarum Virginum cœnobium Madriti nobiliſsimum fundauit: liberalitatis, & pietatis. At vero quod diſcalceatis, quas dicunt, S. Claræ monialibus ipſa Hiſpaniæ Regina dum cibum caperent ancillarum ritu, habituq. miniſtrauit: cuiuſmodi id tandem eſt? Enimuerò niſi verum ſit demiſsionis præcelſiſsimæ miraculum; neſcire me planiſsimè fatebor. Citius ego dies, horas, puncta temporis quibus felices illas terrarum plagas incoluit numerem, quam exempla ſanctitatis. Vos, o Hiſpani proceres, quos hic adeſſe video optatiſsimæ patronæ deſiderium eius commemoratione virtutum lenituros; agite, ſuggerite conanti luctus veſtros oratione minuere, quæ vos ipſi, dum frui mortali illo diuinæ mentis exemplo licuit, auribus oculiſq. præſentes vſurpaſtis. Neque enim veſtrum eſſe quemquam arbitror, qui illam viderit, quin infinita virtutis abditæ lumina notauerit. Adeo aſpectus, nutus; voces, ſilentium, ipſa tota muta facies ſanctimoniam loquebatur. Omnino enim hoc habuit Margarita Aud. vt quod in nobilibus pictorum, fictorumque magnorum operibus vſuuenit, quæ quo proprius ſpectantur, eo latentis neque totam ſe prodentis primo aſpectu artis expreſsiora lu-

mina

mina tranſmittunt; itidem in Heroina illa accideret: vt conſuetudo latentis virtutis quoſdam quaſi radios quamuis humilitatis ſtudio occulerentur eliceret. Nam vnde oro vos tantam de illa exiſtimationem intimi familiares? Vnde tantum omnes amorem? Ità certe fertur. nemini maiorem viſam quam ijs qui eam frequentiſſime viderent. nemini ſtudioſius cultam,quam qui eam diutiſſime caram habuiſſent. Sic ſic eſt vera virtus, Sodales, maior ſemper in receſſu quam in fronte. amabilior quo conſpectior. Quamquam amoris illi conciliandi diuerſa omnibus ratio,& ſi modus idem. Philippus eam vir perſpecta penitus morum ſanctitate, commoditate nobiliſſimi,neque vnquam eius placitis obluctantis ingenij; beata inſuper fœcunditate vnice dilexit: qua,vt has etiam partes felicitatis expleret,eum regiæ ſobolis numerum reliquit,quem felicibus aliqui ſapientium præſcripſere, marium quatuor, fœmellarum triũm. Populis, ſiue in eius illi ditione eſſent, ſiue in aliena: miſericordia, clementia, liberalitate ſuſpiciebatur. Domeſticis lenitate atque humanitate, quæ eam iure dominam,voluntate ſociam effecerant. Mirabile eſt quod memorant. Fœminam imperio natam,in aula dominatrice eductam, ad regnantem latiſſime regiam translatam pro imperio nihil exigere, vel ſciſſe vnquam, vel auſam eſſe. Precariò omnia ab ancillis etiam,ſeruiſq. poſtulaſſe. O amores, o delicias terrarum orbis. Te ne igitur Philippus III. Chriſtianorum Regum lux extinctam non lugeat? Te mœſtiſsima Hiſpania: Te afflictæ religioſorum hominum familiæ: Te ſpe deſtituti omnes omnium ordinum homines non lamententur,in ipſo præcipue ſanctiſsimæ vitæ flore ſublatam? Equidem non mortales te modo homines quibus ſenſus aliquis humanitatis ſit; ipſi te hi parietes, ipſe te terrarum orbis vbiq. tui deſiderio pullatus luget. Et vero in ipſo ætatis flore decerpta eſt. Annum vix dum ſeptimum & vigeſimum ætatis attigerat cum feſtiuiſsimum infantem Regi Regnoque ità peperit,vt ipſam cœlo iam matura ſanctitas parturiret. Quid autem moror? Quid hoc eſt?Quid in ſummo luctu hæreo? Quid vox reſtitas? Dicendum dicendum

eſt,

eſt, quod dictum iamdiu factumque moerens terrarum orbis inaudijt. Sublata ſublata è terris eſt lux illa ſanctimoniæ. Migrauit è terris illa quam terrarum nimis diu inquilinam cœlites, dum virtutum penſiones numerant, credidere. At vos qua ratione migrauerit cognoſcite; vt abeuntis ex hac mortalitate ſanctitatis in ipſa migratione veſtigia veneremini. Relicta leuis à partu febris nulla medicorum ope ſiſti potuit, quin in peſtilentem paulatim morbum degeneraret. Attonita repentino caſu aula imminentis periculi Reginam admonet Cōfeſſarius. Periculi autem? Tibi enimuero integerrima Heroina nullus vnquam ſpei certioris illuxit dies. Flere ergo omnes. vna illa exilire gaudio. præcipiebat nimirum quaſi è propinquo meritum immortalitatis beatiſſimæ cui ſe iamdiu comparauerat victor animus triumphum. Quid multa? poſt reliqua omnia ſanctiſſime obita Eccleſiæ Chriſtianæ myſteria: dum ad poſtremam luctam ſacro oleo inungitur, Chriſtianæ fidei capita ex ſacra formula intermortuis pene vocibus profitetur. Venit ad eum locum, quo Eccleſiā nos amplecti, ac venerari Catholicam teſtamur. hic vero illa ſubſtitit, collectoq. fugiente iam ſpiritu quanta maxima voce potuit, *Apoſtolicam Romanam*, ex ingenio quidē, ſed ex pietatis ingenio, adiectas voces ſemel iterumq. inclamauit. eoq. in exprimendo ſinceræ fidei teſtimonio ad veræ fidei præmia euolauit in cœlū. O exitum vitæ tibi præclariſſima fęmina optatiſſimum, luctuoſum tuis. Tibi vero Catholica Eccleſia prædicandum. Tuum eſt, Tuum eſt Roma religionis caput ac ſedes, hunc exitum ad memoriam ſęculorum omnium omni monumentorum genere conſecrare. Tibi tibi poſtrema illa deficientis vox Reginæ ſeruiebat. Quantopere tuam gloriam tutata ſit viuens intelligis; quando vnam eam moriens in ore habuit. Aduerſus vos peſtilentes hæreſes vox illa morientis fęminæ dimicabat. agnouiſtis hoſtilem aduerſus vos Auſtriacorum animum, qui veſtrum in ipſo etiam è corpore diſceſſu iugulum petit. At vos Auſtriaci Reges ac Cæſares reliquis quibus hanc veſtram ſobolem agnouiſtis iam pridem argumentis, poſtremum hoc adiungite, quod quæ magnam

gnam

gnam animam pro Apoſtolica Romana fide prodigere non potuit, in ipſa eius certe profeſſione profudit.

Vos poſtremò, Hiſpani Proceres, Tu Philippe Rex maxime mœrori, quamuis iuſtiſſimo, modum ponite. Neque enim ſine modo dolendum eſt illud pietatis, ac maieſtatis, quod initio dicendum propoſui, diuinum exemplum cœlo dignum, cœlo deuocatum, cœlo ab ipſo inde vſque ortu debitum, in cœlum tandem iiſdem quibus ad vos venerat, innocentiæ veſtigijs eſſe reuocatum. Dixi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE